



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 637. Quid sit institutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

que legata conferri; cum id ut singulis prohibitum non sit, neque expresse sub nomine infamium contineantur. *L. 1. c. de secund. nupt.* Muller. *l. c.* cum Carpz. *p. 3. c. 13. def. 16.* de collegiis verò Judæorum mox dicitur. Ac denique hodieum certi juris est, quòd conjux conjugem hæredem instituere possit. Idem cum Peckio. *de testam. conjug. L. 1. c. 1. num. 3.* quod tamen non possunt secundò nubentes, existentibus liberis ex priore matrimonio. *L. hac edictali. c. de secund. nupt.* Lauterb. *l. c. §. 9.* in summa itaque omnes institui possunt hæredes, nisi specialiter jure prohibeantur.

2. Resp. Ad secundum: prohibentur autem institui ferè sequentes. Primò servi pœnæ. *L. 3. de his que pro non script. habent. L. 17. ff. de pœn.* Secundò olim peregrini institui non poterant, quod hodieum sublaturum videtur. *Stru. in ff. de hæred. inst. th. 3.* sic peregrinantes institui posse hæredes juxta *§. fin. Inst. de hæred. inst.* ait Muller. *l. c. th. 3. lit. a.* Tertiò deportati. *L. 1. c. eod. l. 16. ff. de interd. & re legat.* quibus hodieum æquiparantur damnati ad remos. Lauterb. *in ff. eod. §. 8.* Quartò banniti seu proscripti ab Imperatore vel Camera Imperiali, qui in multis æquiparantur deportati. Ordo Cameral. *p. 2. tit. 9. §. 2.* Gail. *de pace publ. l. 2. c. 12. num. 3.* Lauterb. *l. c.* Muller. *cit. th. 3. lit. β.* ubi etiam, qualiter se gerere debeat, qui nihilominus bannitum vult scribere hæredem, ut etiam nepotibus banniti sit cum effectu prospectum. Quartò hæretici publicè tales declarati. *L. 5. c. de hæret. uti & Apostata. L. 13. c. de Apostat.* *Stru. Muller. Lauterb. ll. cit.* Quintò nati ex damnato & incestuoso concubitu. *Aurb. ex complexu. c. de incest. & inutilib. nupt.* Secundum dicta supra, quibus tamen ex æquitate canonica juxta *c. 5. de eo qui duxit in matrim. quam poll. à patre relinqui possunt ac debent alimenta.* Sextò servus de adulterio cum domina accusatus ab ea institui nequit. *pr. Inst. de hæred. inst. vers. est tamen.* Sed neque servus institui potest, cujus dominus institui nequit, etsi valeat ejus institutio, si servus ille manumissus est, vel ad alterius domini capacis institui potestatem venerit. *L. si servus. ff. de acquir. hæred. de Lugo. l. c.* Septimò filii reorum criminis perduellionis. *L. 5. §. 1. c. ad leg. Jul. Majest.* quod à Claro restringi ad liberos natos post commissum crimen contra generalem. *cit. l. rationem,* ait Lauterb. *l. c.* cum Boccr. *de crim. les. majest. c. 3. num. 6.* in tantum tamen restringendum, ut intelligatur de solis filiis, non de filiabus. *cit. l. 5. §. 3.* uti nec de nepotibus. *L. 6. ff. de test. tutor.* Lauterb. *l. c.* cum pœnalia & odiosa sint restringenda. quin etiam Brunem. *ad l. 11. ff. de lib. & posthum.* Lauterb. *l. c.* hujusmodi filiis legitimam relinquentiam putant. Octavò collegia illicita, hoc est specialiter non approbata & privilegiis subnixia. *L. 1. c. de hæredib. instituend. l. 3. §. 1. ff. de colleg. & corp.* Lauterb. *l. c.* Secus est quòd ad singulos de tali collegio, ut Idem cum Carpz. *p. 3. c. 13. def. 37.* Unde etiam nec collegia Judæorum, nec Synagogæ institui possunt hæredes; quia nullibi talia collegia Judæorum sunt approbata. Arg. *L. 1. c. de Judæ.* Muller. *l. c. th. 3. lit. y.* ubi tamen addit: non quòd omnia illorum collegia illicita sint; sed potius quòd viribus & opibus augenda non sint, sed depauperanda. secus si ut singuli considerentur, ut dictum. de quo etiam videri potest Cujac. *L. 7. obs. 30. not. 7.* Nonò tam etsi extra dubium sit, Imperatorem aut Principem institui posse hæredes, cum ii deterioris conditionis esse non debeant quam privati. Welenb. *ad ff. de acquir. rerum domin. n. 27. litis*

tamen fugiendæ causâ (ut dum quis institueret Principem, ne quis creditorum aut hæredum ab intestato, &c. hæredi tam potenti litem intentare audeat) instituendi non sunt. *Srru. in ff. de hæred. instituend. th. 3. lit. t.* Muller. *ibid.* plura de incapacibus institui vide supra, ubi quinam ex testamento accipere possint. Potrò dum hi incapaces institutionis instituuntur, institutio ipso jure nulla est, non tamen hæreditas aut quod relinquitur, fisco accipitur. Lauterb. *l. c. §. 11.* *Stru. cit. th. lit. δ.* Sed eorum portio ad substitutos vel ad hæredes ab intestato pervenit. *L. 3. ff. de his qui pro non script. habent.* Muller. *ad Stru. cit. lit. δ.* Lauterb. *l. c.* qui tamen in hoc incapaces distinguit ab indignis (quales sunt, qui ipso jure quidem institui possunt, sed iis propter delictum aliquod contra testatorem vel testamentum, vel aliam ob causam hæreditas auferatur) quòd his institutis, hæreditas deferatur fisco juxta *L. 1. ff. de jure fisci.*

Quæst. 637. Quid & quotuplex sit institutio.

1. Resp. Ad primum: institutio hæredis nihil aliud est quam futuri hæredis seu successoris designatio, seu nominatio facta à testatore directis verbis. *L. 1. §. 1. ff. de vulg. & pupill. substit. Lauterb. ad ff. de hæred. Inst. §. 1.* Muller. *ibid. th. 1. lit. y.* Dicitur primò: facta à testatore ad distinctionem hæredis futuri à legibus denominati, qui improprie dicitur institutus. dicitur secundò: directè seu directis verbis facta: per quod distinguitur hæres institutus à fideicommissario, qui non nisi verbis obliquis instituitur. Lauterb. *l. c.*

2. Resp. Ad secundum: dividitur institutio in primam, seu quæ proprie talis dicitur, & in secundam, quæ proprie substitutio dicitur, de qua paulò post. Proprie talis alia est necessaria, quæ fit ex juris necessitate earum nempe personarum, quæ ex eadem necessitate institui vel exhæreditari debent. alia voluntaria, nempe earum personarum, quas liberè testator potest praterire absque eo, quòd eas exhæredet.

Quæst. 638. Quibus verbis facienda institutio.

Resp. Institutio nullam certam verborum formam requirit, sed fieri potest quibuscumque verbis, modò ex iis voluntas testatoris sufficienter constet. *L. quoniam. c. h. t.* idque absque eo, quòd testator utatur nomine hæredis; etsi eo uti sit securus, cum, si omisso hoc nomine relinquat determinatum dicendo v. g. relinquo Titio domum meam, testamentum non valeat in vim testamenti, sed tantum in vim codicilli, eo quod nec implicita, nec explicita adsit seu appareat voluntas instituendi hæredem, quæ tamen est de essentia testamenti. Reiffenst. *h. t. 421.* Sic etiam perinde est, an testator utatur verbis directis in personam testatoris. v. g. dicendo: assigno, instituo, transfero omnia mea, exceptis legatis; sive conceptis in personam hæredis. v. g. dicendo: pertineant, habeat, accipiat omnia mea, succedat. Lauterb. *ad ff. de hæred. inst.*

Quæst. 631. An & qualiter institutio debeat esse libera, & non captatoria.

1. Resp. Ad primum: institutio hæredis, ut valeat, debet esse libera. unde extorta per metum est nulla. *ad ff. de hæred. inst. th. 8.* Muller. *ibid. & in ff. qui testam. fac. poss. th. 8. lit. a.* cum communi. idque, etiam si metum sequantur bona verba,